

gunt. 1627. *ibid.* pag. 64. in Laquedonen. 22. Jul. 1630. lib. 2. decret. Paul. pag. 51. in Oppiden. 11. Septembris 1634. *ibid.* pag. 201. Clericus conjugatus est exemptus ab onere capitulationis tamquam mere personali, etiam si exerceat aliquam artem, dummodo non sordidam, sed honestam; eadem Sacra Congregatio in Oppiden. 21. Novembris 1635. lib. 2. decret. Paul. pag. 238. in Squillac. 19. Januar. 1638. lib. 3. decret. Paul. p. 53. in Tridentina 18. Novembris 1685. lib. 1. decret.

67 Non gaudent tamen Clerici conjugati exemptione ab oneribus realibus, nisi succedat loco personalium, vel adsit consuetudo ad eorum favorem; eadem Sacra Congregatio Immunitatis in Aprutina 6. Martii 1631. lib. 2. decret. Paul. pag. 218. Sic Clerici conjugati non gaudent exemptione a solutione collectarum, nisi adsit consuetudo contraria; eadem Sacra Congregatio in Aquilana 25. Septembris 1627. lib. 1. decret. Paul. pag. 65. in Camerin. 28. Septembris 1694. lib. 1. decret. Vallem. pag. 84. Nec Clerici conjugati sunt exempti, non concurrente consuetudine ad eorum favorem, ab impositione taxæ, quæ non sit onus personale; eadem Sacra Congregatio in Catacena 10. Novembris 1641. lib. 3. decret. Paul. pag. 160. Sic Clerici conjugati non sunt exempti ab oneribus etiam mixtis, non concurrente consuetudine legitima ad eorum favorem; eadem Sac. Cong. in Catacena. 19. Novembris 1641. lib. 3. decret. Paul. pag. 160. Sic Clerici conjugati non sunt exempti ab oneribus etiam mixtis, non concurrente consuetudine legitima ad eorum favorem; eadem Sac. Cong. in Cassanen. 28. Jun. 1644. lib. 3. decret. Paul. pag. 232.

70 Unde Clerici conjugati, circumscripta consuetudine ad eorum favorem, de Jure communi non gaudent exemptione ab hospitalitate militum, cum sit onus mixtum; eadem Congr. in Oppiden. 23. Augusti 1633. lib. 2. decret. Paul. pag. 169. De Jure enim communi Clerici conjugati nullo gaudent privilegio clericali in rebus, seu bonis suis, ac proinde sicut alii uxorati tenentur præstare consuetas exactiones, seu collectas, & tributa; ita textus in cap. Clericus unic. de conjugatis, §. fin. in 6. ibi: In ceteris autem... (id est, præter casus enumeratos) cogaudere volumus privilegio clericali. Id ipsum habetur in cap. Ex parte 9. de Clericis conjugatis, ibi: "Cum igitur reddenda sint, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, æquanimiter duximus tolerandum, ut à talibus justitias debitas, velut ab aliis uxoratis, exigas, & servitia consueta." Et in ejus Summario sic præcise dicitur: Clerici conjugati in rebus suis non gaudent privilegio clericali; ubi Abbas, Joann. Andreas, Barbosa, & alii communiter. Sic Clericus conjugatus non habens requisita cap. unic. de Clericis conjugatis in 6. non gaudet privilegio fori; Sacr. Congreg. Immun. in civitatibus castelli 20. Decembris 1661. lib. decret. Rocci pag. 37. & in Reatina 13. Aug. 1604. lib. 3. decret. Vallem. p. 602. Unde Clericus conjugatus non incedens in habitu, & tonsura, immo exercens officium Gubernatoris armorum, conventus in curia Capitolina, ubi acquievit ad plures actus, sed postea petens gaudere privilegio fori, remittitur à Sacr. Congr. ad eandem curiam Capitolinam; eadem Sacr. Congr. in Romana 11. Januarii 1693. lib. 7. decret. Vallem. pag. 167. Clericus conjugatus habens servitium militare cum sanctionibus mere militaribus, & laicalibus, non retinet privilegia, cap. unic. de Clericis conjugatis in 6. eadem Congr. 10. Februarii, & 26. Martii 1699. lib. 2. decret. Vallem. pag. 222. Clericus conjugatus non gaudet privilegio fori, quando non incessit in habitu, & tonsura, aut fuit Capitaneus militiæ, & incubuit mercaturæ; eadem Congr. in Assisien. 28. Januarii 1681. lib. 2. decret. Alvoit. pag. 242. Clericus conjugatus nunquam incedens in habitu, & tonsura, nec inserviens ecclesiæ, & exercens artem ruralem, non gaudet privilegio fori; eadem Sacra Congr. in Sabinen. 13. Septembris 1701. lib. 3. decret. Vallem. pag. 379.

71 Clerici gaudent privilegio fori de Jure divino; ita Gloss. in cap. Si Imperator 11. dist. 99. verb. Et discuti, Gloss. in cap. Quamvis 4. de censibus in 6. verb. Divino, ubi id probat allegando leges divinas. Hostiens. in cap. 2. & Baldus *ibid.* de majorit. & obediens. Abbas in cap. Ecclesia Sanctæ Mariz 10. de constitutionibus n. 6.

Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 29. & 30. Fagnan. in cit. cap. Ecclesie Sanctæ Mariz 10. de const. n. 10. & in cap. Cum non ab homine 10. de Jure n. 66. Sperellus de cit. 37. for. ecclesiastic. n. 1. & cap. ubi allegat plures alios Canonistas, & Theologos, & dicit, hanc sententiam fuisse canonizatam à Rota Romana in decis. 10. n. 2. de consuetudine in antiquioribus, Engel. lib. 2. tit. 2. de for. competent. n. 38. Pirhing. lib. 1. tit. 2. de for. compet. n. 107. Reiffenstuel. *ibid.* n. 201. & sequent. Marcha de jurisdic. part. 2. cap. 6. n. 1. & sequent. Julius Clarus in pract. crim. §. fin. quest. 36. num. 2. asserens post Alciatum, in cap. Cum non ab homine, num. 2. de Jure. & alios hanc esse communem opinionem; Azorius part. 1. institut. lib. 5. cap. 12. quest. 1. Tannerus tom. 4. theolog. scholast. disput. 1. quest. 4. dubit. 6. num. 138. Laym. lib. 4. theolog. moral. tract. 9. cap. 8. & plures Theologi apud ipsum, Barbosa lib. 1. Jur. ecclesiastic. cap. 59. §. 2. num. 5. & *ibid.* §. 5. n. 3. & Tridentin. sess. 25. c. 20. de reform. citans plures alios contra Covarrubiam, Lessium, Medinam, Molinam, & alios plurimos ab ipso Barbosa relatos loc. cit. Et probatur primo ex sacra scriptura, tum veteris, tum novi Testamenti. Genesis enim 47. vers. 22. sub Pharaone Ægypti Rege habetur, Sacerdotes, & Levitas exemptos fuisse à jurisdictione seculari, & à lege solvendi tributis, & jurisdic. in cap. Non minus 4. de Immunit. eccler. ubi idcirco graviter arguuntur plures christiani Principes, quo deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone, qui legis divina notitia non habebat, ubi notat illa verba legis divina. Et similiter colligitur ex cap. ultimo vers. 28. Levit. & ex cap. 3. num. vers. 20. & cap. 45. vers. 14. & 15. & ex primo Esdræ cap. 7. vers. 24. Idem habetur ex Matth. cap. 17. vers. 25. & 26. ubi Christus seipsum, & Petrum à tributo solvendo exemptum, nam cum ab ipso exigeretur tributum, dixit Petro: Reges terra à quibus accipiunt tributum, vel census, à filiis suis, an ab alienis? Et respondente Petro: Ab alienis, subintulit Christus: Ergo liberi sint filii. Nominem autem filiorum intelliguntur omnes Sacerdotes, & Clerici, qui cum Christo, ac Dei servitio peculiariter dedicati sint, & familia ejus esse censentur. Non enim illa verba intelligenda sunt de exemptione solius Christi, ut veri filii Dei; nam statim jussit Christus, ut ad vitandum scandalum Petrus inventum in ore piscis staretem daret pro utroque. Ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me, & te; adeoque uterque de Jure exemptus dignoscebatur Christus quidem, ut verus filius regum, Petrus vero veluti representans ecclesiam sponsam Christi, & ecclesiasticas personas, tamquam domesticos ejus, cum etiam in humana politia, non solum filii regum, sed etiam eorum domestici liberi sint à tributis. Et sic inferunt S. Hieronymus in dist. cap. 17. Matthæi, S. Augustinus lib. 1. quest. evang. quest. 23. Maldonatus in cap. 17. Matth. vers. 25. Pirhing. loc. cit. ubi post ipsum Maldonatum recte subjungit, id non esse extendendum ad omnes christianos, qui etsi sint adoptione filii Dei, & Christi nomini gerant, non tamen sunt domestici ejus, ut ipsi Apostoli, & consequenter omnes Clerici in ipsis Apostolis representant. Ultraquamquod christianos tributum solvere jubet Apostolus expresse ad Romanos cap. 13. vers. 7. Probatur insuper variis textibus Juris canonici, privilegio fori Clericorum esse de Jure divino. Et in primis ex cap. Continua 5. caus. 11. 79 quest. 1. ubi refertur, quod in prima generali synodo Nicæna ante emanatum quodcumque aliud privilegium super exemptione Clericorum, ad quorundam querelas coram se contra Clericos depositas sic pronuntiavit Constantinus Magnus: Vos à nemine dijudicari poteris, quia ad Dei solius judicium reservamini. Id ipsum fusiis habetur in cap. Futuram 15. caus. 12. quest. 1. ibi: Vos à nemine dijudicari poteris, quia solius Dei judicio reservamini: Dii etiam vocati eritis, & idcirco non poteris ab hominibus judicari. Concordat cap. Si Imperator 11. dist. 96. ibi: Non à legibus publicis, non à potestati-bus seculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus Omnipotens Deus christiane religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti; hoc est judicari, ubi non-

nota illa verba: Omnipotens Deus voluit, & illa: Ordinari, & discuti: per quæ demonstratur, ordinationem, & discussionem, seu Judicium Clericorum de Jure divino pertinere ad solos Episcopos, & respectivè Judices ecclesiasticos; unde Gloss. *ibid.* vers. Et discuti: sic notanter concludit: Ergo antequam esset aliqua constitutio, etiam Clerici non erant de jurisdictione seculari, unde omnes constitutiones, quæ emanarunt, quod Clerici non sint judicandi nisi ab Episcopis, non sunt nisi juris declarationes. Et clarissime facit cap. Sylvester 13. caus. 21. quest. 1. ubi S. Gelasius Papa reprehendit graviter attentatum cujusdam Clericos ad secularè judicium petraentis, ibi: Et contra leges divinas, & publicas, pulsatis Clericis forum suum putatis auferri, ubi nota illa verba: contra leges divinas: Quid enim clarius? Similiter habetur in cap. Nihil 30. de Jurejurando, ibi: Nihil de Jure divino quidem laici usurpare nituntur, cum viros ecclesiasticos, omnibus temporalibus obnoxios ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt. Et expresse demonstratur in cap. Quamquam 4. de censibus in 6. ibi: "Cum vigitur ecclesie, ecclesiasticæque persone, ac res ipsarum non solum Jure humano, quin & divino à secularium personarum exactionibus sint immunes." Et multis aliis rebus canonicis textibus id non obscure asserentibus, adducitur pro omnibus Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 20. de reform. ubi expresse contestatur. "Ecclesie, & personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam."

85 Clerici gaudent privilegio canonico solum Jure ecclesiastico, & positivo inducto; Fagnan. in cap. Perpendimus 23. de sentent. excommunic. Licet enim Concilium Tridentinum cap. 2. tom. 7. Concil. pag. 151. col. 2. in impress. Partiens. aliud innuere videatur per verba sequentia: "Si quis, ut diximus, illum eorum quocumque ordine consecratum, cadibus, vulneribus, vel quibuscumque injuriis angustia verit &c. constringat protervum Episcopus auctoritate canonica, ut idem Clerico, neci contra divinas, & humanas leges contumelias ingessit, justam, & debitam persolvat compensationem."

86 Tamen indubitatum est apud omnes, privilegium canonico inductum esse ex consuetudine ecclesie, nempe ex decreto Innocentii II. edito in Concilio Lateranensi II. cap. 15. relato in cap. Si quis suadente diabolo 29. caus. 17. quest. 4. ut patet supra num. 1. ubi diximus, hoc privilegium ideo dicitur canonici, quia continetur in canone 15. Concilii Lateranensi II. celebrati sub Innocentio II. Clerici omnes sive in sacris, sive in minoribus dimittentes habitum clericalem, & tonsuram ex sola vanitate, vel negligentia, non perdunt privilegium canonice ante trinam monitionem; cap. In audientia 25. & cap. Contingit 45. de sentent. excommunic. & Glossa in cap. Cum non ab homine 14. eod. tit. v. Minime coercentur: Host. in c. Perpendimus 23. eod. tit. in verb. Non pulsando: & Fagnan. *ibidem* num. 14. Perdunt autem statim ante monitionem privilegium canonici, si ex iniquitate, & malitia habitum clericalem, & tonsuram dimittant, seu deposito habitu, & tonsura clericali, enormitibus se immisceant cap. Cum non ab homine 14. de sentent. excommunic. §. In articulo, ibi: "Occisores Clericorum, aut Presbyterorum, qui contempto clericali habitu tyrannidi, & enormitatis se inverecunde immiscunt, in modum clericalis excessus, & terrorem, atque correctionem similiam, canone late sententiæ minime coercentur." Cap. Perpendimus 23. de sentent. excommunic. & ibi Joannes Andreas, Burtius, Cardin. Ancharan. Relin.

89 & Fagnan. ipsos citans num. 2. Privilegium tamen fori de Jure communi non amittit Clerici omnes, qui deposito habitu, & tonsura clericali, enormitibus se immiscunt, nisi ter moniti non desistant, cap. Contingit 45. de sentent. excommunic. ubi: "Volumus, & mandamus, ut tales, si tertio à te communiti se ipsos contempserint emendare, illius effiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda, dignoscitur instituta." Et tenet Joannes Andreas, in dist. cap. Perpendimus, num. 5. Petrus de Anchar. in cap. 1. num. 2. vers. Si vero reliquit, de apostat. ubi concludit, Clericum, qui dimisso habitu, & tonsura sæ-

vis enormitibus se immiscet, & sepeverat, ac deprehenditur in illis per Judicem secularem, non posse ab eo puniri, sed esse remittendum ad Judicem ecclesiasticum, nisi monitio precesserit, quem sequitur Alexander in cons. 8. Videtur super primo, num. 3. lib. 1. dicens, veriorum; & magis communem Intellectum esse, quod d. c. Perpendimus: locum habeat in privilegio canonici, non autem in privilegio fori, quod secundum eum non amittitur, nisi post trinam monitionem. Et secundum hoc consilium Alexand. millies, immo semper fuisse judicatum per curiam, & consilia neapolitana, attestatur Grammaticus super constitutionibus regni. fol. 29. column. 1. vers. Decimo utique: & sequitur Fagnan. in dist. cap. Perpendimus, num. 4. §. 18. & in cap. Contingit 45. de sentent. excommunic. num. 13. & 14. & in cap. Cum non ab homine 10. de judicis, num. 26. & num. 100. ubi refert hoc servari in curia; & hoc videtur de mente Sac. Congr. Conc. quæ in Morulen 1. Februarii 1620. decrevit ut infra: "Clericus, qui in habitu, & tonsura se immiscet enormitibus, & pluribus vicibus, censetur absque monitione renuntiasse privilegio clericali, secus si in habitu laicali hæc perpetrasset, quia tunc iquiri-ur monitio." Sic refert ex Cælio Barbosa apud host. de cis. collect. 167. n. 8. & in Trid. sess. 23. c. 6. de ref. n. 25. Unde de Jure communi facilius perdit privilegium canonici, quam privilegium fori; cum privilegium canonici amittatur statim ante monitionem à Clericis, qui deposito habitu, & tonsura, se immiscet enormitibus ex cit. cap. Cum non ab homine 14. de sentent. excommunic. & dist. cap. Perpendimus 23. eod. tit. ut patet num. 85. & privilegium fori non amittitur à talibus Clericis nisi post trinam monitionem, ex cit. c. Contingit 45. de sentent. excommunic. ut patet num. 86. Et vel maxime, ut dicit Fagn. in d. cap. Perpendimus num. 9. quia privilegium canonice est solum de Jure canonico, ut patet num. 82. & privilegium fori est de Jure divino, ut patet num. 74. De Jure autem Concilii Tridentini sess. 23. cap. de reformar. Clerici minoritate perdunt hodie difficultius privilegium canonici, quam privilegium fori; nam non perdunt privilegium canonici per solam dimissionem habitus, & tonsuræ, nisi vel precesserit trina monitio, ut ex dist. cap. Contingit 55. de sentent. excommunic. vel saxis enormitibus se immiscerint, ut ex dist. cap. Cum non ab homine 14. de sentent. excommunic. & dist. cap. Perpendimus 23. eod. tit. At privilegium fori perdunt per solam dimissionem habitus, & tonsuræ, vel servitii ecclesie, licet non fuerint tertio moniti, ut ex dist. sess. 23. cap. 6. de reformar. & ex declaratione Sacre Congregationis ejusdem Concilii relat. à Fagnan. in cap. Si quis, de foro competent. num. 21. ut patet supra num. 34. Loquendo verò de Clericis in sacris, cum per Tridentinum nihil de novo de ipsis deponatur quoad amissionem privilegii fori per solam dimissionem habitus, & tonsuræ &c. ut disponitur de minoristis in d. sess. 23. cap. 6. de reformar. standum est dispositioni Juris communis, quod ipsi non amittant privilegium fori, nisi ter moniti non desistant ab enormitibus, quibus se immiscunt, habitu, & tonsura clericali depositis, ex dist. cap. Contingit 45. de sentent. excommunic. ut patet supra num. 86. Et consequenter quod facilius ipsi amittant privilegium canonici, quam privilegium fori, ut dictum est supra num. 87.

95 Clerici in minoribus constituti non servant præscripta Concilii Tridentini, non gaudent privilegio fori in casibus homicidii; Benedic. XIV. n. 1. constit. 88. incip. Alias, 2. Atque etiam expleta pena eodem privilegio privati remanent, & habitum clericalem reassumere nequeunt; Idem *ibid.* Utrum præscripta à Concilio Tridentino servaverint, ab ordinariis est declarandum, non retardata assuecuratione persone; Idem *ibid.* Simpliciter verò tonsurati non beneficiati, etiam servant præscripta Concilii, privante privilegio fori post duo homicidia; Idem *ibid.*

Pro hujus doctrine corone illud hic omittendum non est, quod animadvertit doctissimus æque ac piissimus Presul Josephus Maria Maraviglia Episcopus Novariensis in suis legibus prudentiæ episcopalis Beatissimo Patri Venerabili Innocentio XI. dicatis, & anno 1078. editis. Ille enim in leg. 47. in qua defendit: Admitten-

da ab Episcopis principum privilegia à Summis Pontificibus concessa: Ipsissimis hisce verbis utitur: Communem populorum commodum, quod in recto principum regimine semper spectandum est, exigit plerumque ut non modicus, sed à amplis privilegiis à Summis Pontificibus cumulentur principes ipsi, cum nec ab eadem meta, quæ est mundanæ reipublicæ salus, ab illis, qui supremi moderatoris vices agunt in terris, nunquam fas sit aberrare; quæcumque enim temporanea populorum salus ita cum æterna animarum salute colligatur, ut hoc insolubile vinculum dirumpere nemini liceat; ac propterea non raro contingit, ut summi quoque ecclesiæ principes, & hierarchæ ad tendendas aliorum principum reipublicas, easque in optimum finem perducendas, privilegia quædam non solo dispensent arbitrio, sed aliqua ex causa rem justitiæ, vel æquitati, vel remunerationis patrocinant. Ejusmodi igitur principum privilegia in bonum commune ex instituto collimantia ab episcopali prudentia, nedum facile admitenda sunt; sed etiam toto conatu in usum revocanda, utpote ecclesiæ admodum faventia; licet enim videantur quandoque ecclesiasticæ immunitati, aut libertati accessari, cum tamen revera in ipsis ad summum jus adveheret ex indulto Summorum Pontificum ad majora reparanda mala transferatur in laicam potestatem, sequitur aperte nihil juris ecclesiæ lædi, aut violari per hujusmodi translationem; sed potius jus ipsum ecclesiæ sustineri; cum omnia agant principes ex hoc jure translato virtute privilegiorum, à quo etiam dicuntur accipere potestatem, &c. Deinde aliam immediate leg. 48. sapientissimus Auctor subdit, in qua probans: Permittenda ab Episcopis quædam principum judicia adversus ecclesiasticos, hæc præcisa verba scribit: Plures enumerant Canonistæ casus, in quibus licet episcopali prudentiæ permittit principibus judicia adversus ecclesiasticos, sine læsione ecclesiasticæ libertatis, qui quidem, cum sint fere omnibus noti, non est hic operæ pretium eos recensere. Quo jure verò id agant principes, & iudices laici etiam in causa mortis, ex supra dictis statutum est; ut utrumque namque jure illo in ipsos ab ecclesia translato, ne sceleribus, vel criminibus atrocibus ab ecclesiasticis perpetratis, vel perat orbis, vel ipsa contaminet ecclesia, aut ab innato paulatim concidat innocentia candore. Præ ceteris principibus ejusmodi privilegiis ditata est à Summis Pontificibus serenissima Venetorum reipublica, quæ licet ex delictis atrocibus, vel ex criminibus læsæ majestatis sæpe animadvertat in Clericos; cum tamen ubique terrarum fugeat pietatis, ac religionis obsequio, atque ecclesiæ veneratiori, id sane non ageret, nisi hoc jure per pontificia diplomata in ejus potestatem translato impune uti posset. Diplomata, quæ extant in hac materia apud Venetos plura sunt. I. Sixti IV. datum Romæ die 11. Junii 1474. anno tert. Pontif. II. itidem Sixti IV. datum Romæ die 30. Junii 1474. anno tert. Pontif. III. Innocentii VIII. datum Romæ 1487. anno quart. Pontif. IV. Alexandri VI. datum Romæ die 28. Julii anno decimo Pontif. V. Pauli III. datum Romæ die 10. Octobr. 1541. anno octavo Pontif. Quorum exempla manuscripta ipsemet vidi, & sub hac lege 48. recensentur ad verbum, ad tollendas mentis dubitates; novi enim quamplures supra ejusmodi Venetorum privilegia hæsitare, &c. Hanc doctrinam temporibus Ven. Innocent. XI. tuebatur nunquam satis laudatus Episcopus Maraviglia. Diplomata ab illo indicata, quæ brevitas gratia hic omittuntur, apud illum, si liberit, videri poterunt per extensum.*

¶ De eo graviter inter Doctores quæstio est, an simplex Clericus, qui privilegium fori amisit, eo quia non implevit, quod præscribit Concilium Tridentinum res. 23. cap. 6. de reform. amiserit simul alia privilegia Clerici concessa?

¶ Negant Comitot. resp. mor. lib. 6. quæst. 20. ubi affert pro sua negativa sententia epistolam Sacræ Congregationis Concilii interpretis; De Marin. lib. 2. quæst. res. sol. cap. 47. num. 5. ubi quod eadem Sac. Cong. die 18. Septembris anni 1595. rescripsit: Clericum prima tonsuræ insignitum gaudere beneficio, c. Odoardus, quomodo ille habitum clericalem, & tonsuram non deferat, nec in divinis interviat.

¶ Affirmat verò & quidem de opinione Rotæ Cardinal.

de Luca in adnot. ad Concil. Trident. dist. 24. num. 33. & sequent. Prorsus enim improbabile est, aut, ut de negari debeat illud privilegium fori, quod concernit præjudicium totius ordinis clericalis, adeo ut neque volens possit Clericus illi renuntiare; ac se laicali foro subijcere retenta Clerici figura, vel statu, adeo ut possit ita per magistratum secularium furcis suspendi, atque in frustra scindi, seu ignominiose fustigari, aliique subijci pœnis clericali statui omnino incongruis, & ut ea retinere debeat privilegia, quæ interesse privatim concernunt, & quibus sine aliquo ordinis præjudicio renuntiare potest, ut est illud factionis testamenti, exemptionis ab usufructu legali cum similibus. Ac etiam est illud cap. Odoardus, quod etiam Clericis in sacris, vel ratione doli, vel ratione arctioris obligationis, & in plerisque aliis casibus denegari solet. Assentiri videtur Cardin. de Luca, alter de Luca, in melior. ad de Marin. dist. leg. 2. dist. cap. 47. n. 14. tum adduci pro Card. de Luca potest Rota cor. Roj. dec. 475. n. 5.

In hoc opinione conflictu Auctor notarum in concordat. sanctam Sedem inter Regem urisusque Sicilia cap. 3. l. 1. n. 35; tenet, tunc amplius posse affirmativam opinionem Cardinalis de Luca, quam trina præmissis monitio, & eam Clericus monitus minime curavit.

ARTICULUS III.

Clericus quoad negotia secularia.

SUMMARIUM.

- 1. Negotium seculari accipitur tripliciter, scilicet, large, stricte, & strictissime, ad n. 6.
- 2. Cause assignantur, cur negotio sit Clericis interdicta: quæ pœna in eam exercentur: quando earum sint immunes, ad n. 16.
- 3. Peritones varia, & Sacræ Congregationis responsa, ad n. 46.
- 4. Ab Episcopo est Clericis prohibenda mercatura, & artificium: inter utrumque differentia notatur, & quid, ad n. 58.
- 5. Quæ officia Clericis sint prohibita, & quibus studium operam dare possint, etiam Religiosi, & quæ limitationes, ad n. 82.
- 6. An possint tutelam, & quamlibet administrationem subire: quæ licentia est intercedenda: cui ordinario ejus dotatio competat, ad n. 87.
- 7. Formula dari solita adducitur: quid à quoad tutelam testamentariam, seu dativam extraneorum, ad n. 89.
- 8. Constitutio incip. Apostolicæ servitutis: est inspicienda circa negotia, & D. Clemen. XIII. ad num. 91.
- 9. Submittuntur Additiones ex aliena manu, ad numer. 99.

Negotium seculari accipitur tripliciter, scilicet, large, stricte, & strictissime; Fagnan. in cap. Cum multa 1. Ne Clerici, vel Monachi, num. 18. & sequent. Negotium seculari large acceptum est quicquid provenit ex carnali concupiscentia non subiecta freno rationis; colligitur ex cap. Multa sunt negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi; & dicitur negotium seculari, quia per illud vivitur omnino seculariter, id est, secundum seculum, & mundum, seu carnem, non autem secundum Deum, & Spiritum; hæc etiam prohibentur laicis, ut patet ex multis enumeratis in cir. cap. Cum multa: sed specialiter prohibentur Clericis. Negotium seculari stricte acceptum comprehendit quicquid ad reipublicam mandatum, & secularis homines pertinet; & hoc quamvis permittum sit laicis, tamen Clericis est interdictum, ut cap. Fornicari 10. dist. 88. ibi: Fornicari hominibus semper non licet; negotiari verò aliquando licet, antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, factum jam non licet; & leg. Placet, cod. de Episcop. & Cleric. ubi Clerici nihil commune habere dicuntur cum pluribus actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi. Unde Clericis vacare debent reipublicæ spiri-

rituali; laici verò reipublicæ temporali; arg. cap. Duo sunt genera 1. quæst. 1. cap. Convenior, & cap. Reprehensibile 23. quæst. 8. cap. Duo sunt dist. 96. & c. Solita, de majori, & obediens. Negotium seculari strictissime acceptum sumitur pro exercitio mercatoris, seu negotiatoris, ut colligitur ex cap. Quid est aliud 13. dist. 88. ibi: Quid est aliud negotium, nisi quæ possint vilius comparari, carius velle distrabere? & cap. Forus, de verb. significat. ibi: Negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucrerentur. Et talis negotiatio est Clericis prohibita, ut mox subijciam.

Clericis omnibus in Sacris constitutis, aut in minoribus, congruam sustentationem habentibus, sive ex beneficio ecclesiastico; sive ex bonis patrimonialibus, est prohibitum negotiis secularibus sese immiscere, cupiditatis, & turpis lucris gratia; cap. Consequens 2. cap. Episcopus 3. cap. Prælatum 4. cap. Negotiatorem 9. cap. Fornicari 10. cap. Ejiens 11. dist. 88. cap. Clerici officii 15. de vita, & honestat. Cleric. cap. Cum multa negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi & cap. Secundum 6. tit. cod. ubi expresse dicitur: Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotentur, & sæpe alibi consimiliter reperitur interdicta Clericis negotiatio propter varias congruentes rationes. Prima, quia, ut scribit Apostolus 2. ad Timoth. cap. 2. Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus: cum negotia secularia homines retrahant à spiritualibus, & divinis officii, quibus incumbere peculiare munus est Clericorum; cap. Numquam dist. 5. de consecrat. cap. Clericus 3. dist. 91. ibi: Absque officii sui detrimento, cap. Ex literis 16. de vita, & honestat. Clericor. ibi: Potius secularibus negotiationibus, quod officii divinis intendunt. Secunda, quia Clerici sunt ex illo genere christianorum, quod mancipatur divino officio, & deditur contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut expresse habetur in cap. Duo sunt genera 12. quæst. 1. Tertia, quia Clerici non sunt de corpore reipublicæ secularis, sed ecclesiasticæ; l. Placet Cod. de Episcop. & Cleric. & cap. Fornicari 10. dist. 88. Quarta, quia negotiatio, ut plurimum, sine mendacio, & perjurio exerceri non potest; cap. Ejiens 11. dist. 88. & cap. Qualitas 2. dist. 5. de penit. ibi: Difficile est inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum, ut enim gloss. fin. ib. observat, contrahentibus naturale est se invicem decipere; l. In causa 17. §. Item ff. de Minorib. & l. Item si pretio, §. Quænammodum ff. locati. (Consonat lex 46. tit. 6. p. 1. Vid. lit. A pag. 234. in fin. col. 1.)

Unde tales Clerici exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter, & possunt suspendi à divinis, immo & excommunicari, si tertio admoniti non respiciant; cap. Negotiatorem 9. dist. 88. ibi: Negotiatorem Clericum, & ex inopie divitem, & ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge; cap. Sed nec procuraciones 4. Ne Clerici vel Monachi, ubi præcipitur, ut suspendatur ab officio ecclesiastico, ibi: Ad Ecclesiastico fiat minister alienus, cap. Secundum 6. cod. tit. ubi decernitur, ut excommunicentur, ibi: Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis, prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotentur, cap. Clericus 4. dist. 91. ubi imponitur eis degradationis pœna, ibi: Ab Officio suo degradentur. Cum autem pœnæ tam graves non imponi soleant, nisi propter gravissimas culpas, arg. cap. Nemo Episcop. & cap. Nullus Exercentium 11. quæst. 3. stat evincitur, quod Clerici exercendo tales negotiationes seculares peccent mortaliter;

Et sic tenent expresse Belletus disquis. clerical. p. 2. §. 51. de panis Cleric. num. 2. Fagnan. in cap. Multa, Ne Clerici, vel Monachi num. 11. Barbosa l. 1. Juris ecclesiastici. univ. cap. 40. num. 114. & 128. cum plurimis ibi citatis, & alii passim. Ultra culpam mortalem, & pœnas supra recensitas, Clerici negotiatores, si tertio admoniti à negotiationibus non desistant, perdunt interim privilegium clericale, quoad bona sua; cap. Ex literis 16. de vita, & honestat. Clericorum, ibi: Mandamus, quatenus, si tales tertio à te moniti ab hujusmodi non respuerint, sed prætermisissis divinis officiis, negotiationibus insisterint supradictis, necum facto privilegium abijciant clericale; tu quomodus, dum his se implicant, de suis facultatibus, statutis, & consuetudinibus patriæ subactant, non defendas eosdem. (Lex 49. tit. 6. part. 1. ad idem ferme tendit). Dantur tamen plures casus, in quibus Clerici negotiationem exercentes nullam culpam, & pœnam incurunt. Primum si Clerici negotiationem exercent non turpis lucris gratia, sed mere necessitatis causa; ut se suosque alant, cum aliunde non habeant, unde vivant, & bona ad eorum victum non sufficiant, cap. Multa sunt negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi, ibi: Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legitimus Sanctos Apostolos negotiatos fuisse, & in regula Beati Benedicti præcipitur provideri; per quorum manus negotia monasterii procurantur. (Concordat lex 46. proxime citat.) Secundo, Clerici quoad bona sua patrimonialia, ac beneficiorum, quæ obtinent, excoli faciunt, animaliaque ad hunc effectum necessaria emunt, & vendunt. Ita Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Barenii 14. Novemb. 1626. Tertio, si Clerici vinum suam etiam minutim venderint; Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Aversana 5. Maji 1593. tabernam enim non dicuntur exercere, nec ad gabellæ solutionem tenerentur, qui vinum suum ad minutum vendunt, ut pluries decrevit Sac. Congr. Immunit. & signanter in Ravennaten. & Spoletana 25. Septemb. 1627. in Nolana 12. Jul. 1649. in Lauretana 17. Jun. 1654. in Theatina 15. Mart. 1661. in Faventina 25. Januar. 1677. Et sic possunt Clerici vendere panem coctum, & ad minutum ex frumento collecto in prædiis canonicalibus sine suspitione illicitæ negotiationis. Abbas consil. 6. in fine l. 1. Cravetta consil. 5. num. 116. Silvester in sum. verb. Excomm. 21. vers. Secundo nota, num. 46. Carol. de Grassis de effectibus clerical. effect. 6. num. 33. etiam non obstante prohibitione; Rolandus consil. 72. num. 9. l. 4. Barbosa lib. 1. Juris ecclesiastici. univ. cap. 40. num. 30. Quarto quando à principio defuit animus negotiandi, vel lucrandi, id est, quia Clericus emit pertinentia ad se, suamque familiam sustentandam per totum annum, & præter propositum empti supersunt, vel diminutione familiæ, vel alia ratione; tunc enim pretio currenti, etiam si cariori, quam erat, absque illicitæ negotiationis periculo vendere potest; Prosper de Augustino in addit. ad Quaranta verb. Vectigal. vers. tertio; Aloysius Riccius part. 3. praxi, resol. 202. n. 1. Barbosa l. 1. Juris eccles. univ. cap. 40. num. 112. cum aliis ibi citatis.

Circa hanc autem materiam, variis aliis relictis, specialis decisio Sacræ Congreg. Conc. varios casus ad rem facientes complectens adducit à Barbosa loc. cit. num. 127. prout sequitur: "Eminentissimi, & Reverendissimi Domini, Capitulum, Presbyteri, & Clerus Civitatis, & diocesis Caputaquensis prout plurimum nob loci, personarum, & temporum qualitate aliquas

ex

Manet fere in totum expositum, quæ exemptione Clerici in gabellarum solutione perfruatur (1); sed inter obligationes, quibus non eximuntur, quæ ex venditione minutarum facta oritur, numeratur (2).

(1) Vid. verb. Bona, ex p. 407. in add. hisp. per tot. (2) Reg. Sched. 29. Jun. 1700. cap. 2. Instruccion. sup. cap. 8. Concordat. ann. 1737. §. 14. Ibid. Se previene, que en las ventas por menor de estas especies no hay distincion de bienes à bienes, ni de manos muertas à Clerigos particulares, porque sin necesidad del Concordato, y conforme à Instruccion de Millones, todos los vendedores han de contribuir indistintamente como los legos, porque solo son depositarios de los derechos que pagan los compradores.

- 18 *Primò.* An liceat eis terras patrimoniales, & beneficia-les per laicos colere?
 - 19 *Secundò.* An pro necessario culturæ usu possint emere boves, & animalia, & fetus illorum vendere?
 - 20 *Tertiò.* An il, qui in propriis tercis habentes quercus, & castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque alere, & pro familiæ sustentatione vendere?
 - 21 *Quartò.* An iidem Clerici cum follis suarum arborum possint in propriis ædibus arti sericæ operam dare, idem opus dare ad medietatem, seu ad quartum, & fructus inde percipiendos vendere absque reatu illicitæ negotiationis?
 - 22 *Quintò.* An Clerici pauperes ad suam, suæque familiæ sustentationem possint terras ecclesiæ conducere?
 - 23 *Sextò.* An possint locare boves, oves, & animalia, quæ habent ex successione, vel aliis debitis, vel decimis, eorumque fructus vendere?
 - 24 *Septimò.* An liceat ex olivis, vineis, quercubus, & aliis arboribus existentibus in terris patrimonialibus, & beneficiabilibus, & aliis obtentis, vendere oleum, vinum, glandes, & alios fructus ad sustentationem suæ familiæ; item & granum, & frumentum hujusmodi ex bonis patrimonialibus, aut beneficiabilibus?
- Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum prævia matura consideratione, & inherendo declarationibus aliis factis.
- 25 *Ad primum* respondit, licere Clericis agros beneficiorum & bonorum patrimonialium laicorum opera colere absque metu illicitæ negotiationis.
 - 26 *Ad secundum*, posse similiter Clericos pro culturæ usu boves, & alia animalia necessaria emere, illorumque fetus justo pretio, & honesta ratione vendere, nec ob id prohibita negotiationis prætextu vexari posse, aut debere.
 - 27 *Ad tertium*, item, & posse Clericos habentes in propriis bonis quercus, & castaneas, sues emere, eosque alere pro sua, & familiæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, distrahendisque nihil sordidum, aut indecens Ordini clericali exequantur.
 - 28 *Ad quartum*, licere Clericis folia arborum in propriis bonis existentium alicui laico concedere eo pacto adjecto, ut lucrum ex bombycibus inter utrumque dividatur, & pariter eidem licere earumdem arborum follis per se ipsos absque officii eorum detrimento arti sericæ operam dare pro sua, & familiæ sustentatione; dummodo tamen artificio hujusmodi personæ non suspectas adhibeant, & quoad hoc Episcopi licentia, quæ gratis sit concedenda, obineatur.
 - 29 *Ad quintum*, Clericos pauperes ad suam, suæque familiæ sustentationem posse terras ecclesiæ conducere absque reatu illicitæ negotiationis; bona verò laicorum non posse nisi ex mera, & præcisa necessitate.
 - 30 *Ad sextum*, posse retinere, & locare boves, & oves, & alia animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, necnon fructus illorum vendere absque reatu illicitæ negotiationis.
 - 31 *Ad septimum*, eosdem posse vendere granum, hordeum, & alios fructus recolectos ex bonis patrimonialibus, vel ecclesiasticis, pro sua, & suorum sustentatione. R. Card. Ubalidius Franc. Paulucius Sacræ Congr. Conc. Trid. Secretarius.
 - 32 Et sic responsum fuisse Presbyteris, & Clericis Terræ Mairæ Nicotiraten. Diocesis de anno 1627. refert Fagnan. in cap. Multa sunt negotia 1. *Ne Clerici, vel Monachi n. 34. & seqq.* adducens ipsam declarationem. Et consimiliter responsum etiam fuisse Presbyteris, & Clericis Alti Montis Cassinensis diocesis de an. 1629. refert Carol. Marant. tom. 2. resp. 41. in fine adducens declarationem Sacr. Congr. Conc. quæ cum præcedenti coincidit,

- 33 Sacerdotes, & beneficiati diocesis Alexand. & Ugen. cum à Commissariis spoli molestarentur ex capite illicitæ negotiationis, in infrascriptis casibus supplicat Sacr. Congr. ut dignetur declarare, quando in eisdem sit licita, vel illicita Oratoribus negotio.
 - 34 *Primò.* An Sacerdotes, & Clerici Beneficiati possint operas suorum bovum, quos pro laborandis prædiis suis patrimonialibus, seu beneficiabilibus retinent, dum sibi vacant, aliis locare pro certa mercede absque periculo spoli, & penarum Clericis negotiatoribus impositarum?
 - 35 *Secundò.* An possint, si boves emerint, vel in suis prædiis natos educaverint, & insruerint, conducere, ut vulgò dicitur *à givasio*, pro certa tritici quantitate quolibet anno persolvenda?
 - 36 *Tertiò.* An possint oves centum, vel saltem quadraginta similibi actione concedere pro certa caseorum quantitate pro eorum, & suæ familiæ usu?
 - 37 *Quartò.* An in suis molendinis pro tritico, & pistrinis, pro oleo postquam suum triticum, & olivas moluerint, alienum triticum, & alienas olivas certa mercede constituta molere possint: suppositis infrascriptis, quod id ab immemorabili tempore semper fuerit factum, & observatum: quod singulis annis non expedit pro solo servitio proprio triginta, vel quadraginta ducatos impendere in conficiendis pistrinis, nam sunt ex juncis, & aliis materiis, quæ mensibus quinque, aut sex corumpuntur, & in uno equo, & quatuor personis inservientibus ipsis pistrinis? Et quod molitura olivarum durat per quatuor, quinque, vel sex menses, juxta annorum fertilitatem.
 - 38 *Quintò.* An possint assumere onus colligendi, & faciendi à sua familia colere olivas pro certa olei portione domino oliveti reddenda, supposita in hoc immemorabili consuetudine?
 - 39 *Sextò, & ultimo.* An possint in bonis amicorum, & propinquorum operas diurnas præstare, ut illis easdem in prædiis restituant?
- Ad dubia præposita responsum fuit, ut sequitur.*
- 40 *Ad primum*, affirmative, si tot juga bovum retineantur, quot sunt pro prædiis necessaria, vel si ultra necessitatem culturæ prædiorum, vel alio licito modo tenentur, per doctrinam Molinæ loco infra citando.
 - 41 *Ad secundum*, quoad boves emptos negative, quo verò ad boves proprios, affirmative; P. Molina de contractibus disp. 342. sub num. 4. quam refert, & sequitur Quaranta in verb. Vestigal. §. Similiter ad illicita.
 - 42 *Ad tertium*, affirmative, si oves proprie fuerint, & non emptæ ad illum effectum, ex præcedenti Molinæ doctrina; & si emptæ, dummodo ad comparandum necessaria ad victum, & non ad lucrum.
 - 43 *Ad quartum*, affirmative, duobus concurrentibus, videlicet, dummodo ob hanc causam non se subtrahant ab illis, in quibus ex officio clericali incumbere debent, & dummodo non ad lucrum, sed ad necessaria vitæ comparanda pro se, & sua familia; non enim hujusmodi artificio sordidum videtur, aut inhonestum in illis partibus, cum per unum equum, & quatuor famulos, sui operatio fiat, & non per ipsos Clericos. Quarant. ubi supra, post alios §. Difficultas versatur circa med. & fin.
 - 44 *Ad quintum*, negative, nisi proprii redditus sibi, suæque familiæ non sufficiant; nam hoc casu ad comparandum victum etiam aliena prædia conducere licet, gloss. in cap. Pervenit, verb. Conductiones 86. distinctè. quod est de mente omnium Doctorum, ut testatur Quaranta ubi supra §. Quarant. in fine.
 - 45 *Ad sextum*, si opera non sint sordida & inhonestæ, possunt fieri hujusmodi commutationes per ea, quæ scribit Quaranta ubi supra §. Difficultas in fine, ex doctrina Silvestri.
- Hinc juvat afferre aliam Sac. Congr. responsum datam

- 46 tam dubio eidem Sac. Congr. proposito à Patre Passerino suæ Religionis Generali Procuratore his verbis,.... "An prædictis Presbyteris, & Clericis liceat absque negotiationis Clericis interdictæ nota, oves, boves, aliaque hujusmodi animalia emere, etque locationis aut societatis titulo conductori, aut socio tradere, ac lucrum ex hujusmodi locatione sive societate percipere? Die 7. Octobris 1662. Sac. Congr. S. R. E. Card. Conc. Trident. Interpret. censuit, non licere." Quam resolutionem authenticam apud se retinuisse testatur in tractat. De statu homin. tom. 2. quest. 187. art. 2. n. 187. p. 339. Postest Episcopus prohibere Clericis Minorum Ordinum, & primæ Tonsuræ, ne exerceant mercatum, nec suscipiant appaltus aquæ vitæ, ceræ, tabaci, saponis, vel macinatus, ut respondit Sac. Congr. Concilii in civitate Plebis 2. Augusti 1687. lib. 37. Decretor. fol. 464.
- 47 Ex prædictis Sacræ Congregationis declarationibus, satis aperte colligitur, posse Clericos dare operam negotiationibus illius speciei, quæ dicitur artificium, non autem negotiationi proprie sumptæ. Ut autem hoc facilius percipiatur, advertenda est differentia intercedens inter negotiationem proprie sumptam, & artificium. Negotio enim proprie sumpta est, quando emitur res, ut omnino integra, & immutata catus vendatur, ita ut ex sola transmutatione de persona in personam sequatur lucrum; artificium verò est, quando emitur res, ut inde habeatur materia ad operandum propriis manibus, eamque redacendam in aliam formam; & dicitur ex cap. Ejiciens 11. dist. 88. ubi sic expresse dicitur: "Quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram, & immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator; qui autem rem comparat, ut illam ipsam integram, & immutatam dando lucratur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur." Et sic notant ibid. Gloss. Butr. Abbas, & alii passim cum Fagnan. in dist. cap. Multa num. 23. Addit autem Belleus in disquisit. clerical. p. 2. §. 51. de penis Clericorum num. 1. etiam tunc intervenire negotiationem Clericis interdicitam, cum quis eorum aliquam rem v. gr. lanam emit, ut suis expensis per mercenarium, & opificum industriam, & laborem (non autem per semetipsum) aliquid efficiat, scilicet, ex lana empta pannum conficiat, postea revenditurus, ut inae aliquid lucrari possit.
- 48 Unde licet negotio proprie sumpta sit Clericis interdicitæ ex cit. cap. Consequens 2. cap. Negotiator 9. cap. Formicari 10. cap. Ejiciens 11. dist. 88. cap. Clerici officia 15. de vita, & honest. Cler. cap. Cum multa negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi & cap. Secundum 6. eodem tit. cum similibus; tamen artificium, & manualis operatio absque fine turpis lucri non interdicitur Clericis. Immo ipsis recommendatur, sicut agricultura, dummodo fiat absque neglectu officii ecclesiastici; cap. Clericus 3. dist. 91. ibi: Clericus vitium, & vestitum sibi artificio, vel agricultura absque officii sui detrimento ponet; & cap. Clericus 4. ead. 91. ibi: Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificio vitium querat. Non enim tale artificium, & manualis operatio implicat ad peccatum, sicut talis negotiatio, quæ vix potest exerceri sine mendaciis, perjuriis, fraudibus, & similibus; ex cap. Ejiciens 11. dist. 88. & cap. Qualitas 2. dist. 5. De penis. & aliis adductis supra num. 10. (Repete leg. 46. & 49. tit. 6. p. 1. & quæ ex p. 407. lit. B. proponuntur, ubi bene explicata omnia invenies). Hinc Apostoli post Christi passionem redierunt ad piscandum; Joann. cap. 11. Sanctus Matthæus verò ad telionem non amplius resedit; quia istud posterius est de illis, quæ implicat ad peccatum, non autem prius, prout observat Sanctus Gregorius Papa Homil. 24. in Evangel. & refertur in cap. Negotium 7. dist. 5. de penis. Quinimo tale artificium, & manualis labor sui operatio ad multa bona inservit, ut observat S. Thomas 2. 2. quest. 87. art. 3. Primò enim, & principaliter inservit ad victum querendum; unde Protoparenti Adamo dictum est: In sudore vultus tui vesceris panem, Genes. 3. & Pr. 127. Labores manuum tuarum, quia manducabis; & secundum hoc dubitandum non est, quin Clericis, & Mona-

- 49 chis liceat operari manibus propriis; ait enim Apostolus 1. Cor. 20. Ad ea: quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Et adducitur in cap. Clericus 1. caus. 21. quest. 1. & in cap. Cum Apostolus 6. De Censibus. Et de facto hoc laudabile institutum vivendi ex labore manuum suarum adhuc in dies observatur à pluribus Monachis, & maxime Basilianis Eremi del Tordon, de quibus Clemens VIII. in suis literis sub datum Tusculi sub annulo Piscatoris die 23. Septemb. 1603. Pontificatus sui anno duodecimo cap. 4. sic ait: "Quærendi victus solertia (ut verba Sancti Basilii de Institutionibus Monachorum serm. 1. referamus) his qui in hujusmodi vitæ genere degunt, ea maxime conveniens judicanda est, quæ præscripta est ab Apostolo, nimirum ut manibus laborantes panem suum honeste manducent; ex quo, & aliis dicti Patris locis, declaramus, Monachos S. Basilii ex peculiari suæ Regulæ instituto ad victum propriis manibus parandum in communi teneri. Atque ita juxta præsentis reformationis statuta jubemus observari in illis partibus, quas etiam S. Basilii concedit; præcipue quæ intra domum exerceri possunt, velut texendi, pectenandi, suendi, sarcendi, & aliis secundum locorum, & temporum exigentiam. Cum autem Sanctus Basilius agriculturam, quia ea facillime res ad usum necessarias haberi possunt, concedat, modò ea neque à vicinis, neque ab accolis tumultus afferat; aut turbas; nos eandem ad frumentum, vinum, mel, oleum, & ceteros agri fructus comparandos permitimus." Et refertur in cap. Numquam 33. distinctè. 5. De consecrat. Sic Hieronymus ad Rusticum Monachum de vivendi forma scribit: "Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quemquam gravarent. . . . Cur tu in usus tuos cessura non præparas? Vel fiscellam tere juncos, vel canistrum lentis, plecte viminibus, sarciatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum oleorum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ. . . . Inserantur infructuosæ arbores gemmis, vel aureulis, ut parvo post tempore laboris tui dulcis pomæ decerpas; apum fabricare potes alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbialia, & monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus; texantur & lineæ capiendis piscibus; scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur." Hæc ibi Hieronymus, ubi subiungit, "quod Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere, & labore suscipiant."
- 50 *Secundò*, artificium, seu operatio manualis inservit ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur; unde dicitur Ecclesiast. 33. Mitte seruum tuum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas; negotium enim, auctore Isidoro lib. 18. Etymolog. cap. 15. sic dictum est, quasi negans otium, ut refertur in cap. Forus 10. de verborum signific. ibi: *Dictum est negotium, id est, sine otio*, & Glossa ibidem in verb. Negotium. Unde ex ipsa vi nominis importat privationem otii, & significat actum omnem, cui otium repugnat; & ad hunc finem, nedum est licitum, sed & laudabilissimum Clericis, & Monachis operari manibus propriis, & idèd S. Hieronymus ad Rusticum Monachum: *Facto inquit, aliquid operis, ut semper te Diabolus inveniat occupatum*, ut refertur in d. cap. Numquam 33. dist. 5. de consecrat. Tertiò, artificium, seu labor manualis inservit ad concupiscentiæ refrænationem, in quantum per hoc maceratur corpus; unde 1. ad Corinth. 6. In laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in castitate; Et ad hunc finem est licitissimum Clericis, & Monachis tale artificium, seu labor manualis; unde in monasteriis Ægypti nullus suscipiebatur incapax operandi, & laborandi, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagarentur similes Monachi perniciosis cogitationibus, d. cap. Numquam 33. dist. 5. de consecrat. ibi: "Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere, & labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagetur pernitiosis cogitationibus mens, & ad instar fornicantis Jerusalem omni transeunti divari-

58 ces pedes suos." *Quarid*, artificium, seu operatio m-
nualis inseruit ad evitando furta, & ad elemosinas fa-
ciendas, iuxta illud Apostoli ad *Ephesios* 4. ibi: "Qui
lucubatur, jam non iuretur, magis autem labore ope-
rando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde
tribuat necessitati patienti." Et ad hunc finem est
sine omni proisus dubio licitum Clericis, & Monachis
operari manibus propriis; *arg. cap. Pervenit* 26. d. 86.
& *cap. Decrevit* 1. *dist.* 88.

59 Inter negotia, artes, & officia Clericis prohibita,
multa alia reperiantur. *Primo*, prohibentur Clerici pæ-
sertim beneficiati, aut in Sacris constituti agere officium
Procuratoris, & Advocati, in seculari iudicio, seu foro,
apud quem postulare non possunt, nisi pro seip-
sis, pro ecclesia, aut si necessitas imminet, pro mi-
serabilibus personis; textus sunt clari, & aperti in cor-
pore Juris civilis; *Authent. de Sac. Episc.* §. Deo autem,
vers. Alium; & in corpore Juris Canonici in *cap. Quia*
Episcopus 5. *quest.* 3. *cap. Nullus* 11. *quest.* 2. *cap. Credo*,
& *seq.* 21. *quest.* 3. *cap. Clerici* 1. de *Postulando*, ubi sic
expresse dicitur: "Clerici in Subdiaconatu, & supra in
Ordinibus quoque Minoribus, si stipendii ecclesiasticis
sustententur, coram seculari iudice Advocati, in nego-
tiis secularibus fieri non præsumant; nisi propriam cau-
sam, vel ecclesie suæ fuerint prosecuti, aut pro misera-
bilibus forte personis, quæ proprias causas administrare
non possunt." Concordat *cap. Cum Sacerdotis* sit officium
3. *eadem tit.* ubi additur posse etiam postulare ne-
cessitate imminente pro personis conjunctis, ibi: "Non
nisi pro seipso, vel ecclesia sua, vel (si necessitas immi-
neat) pro personis conjunctis, aut miserabilibus sibi li-
vicum est postulare." *cap. Cum multa sunt negotia* 5. *Ne*
Clerici, vel Monachi; *cap. Sacerdotibus* 2. *cod. tit.* ibi
"Sacerdotibus, & Clericis tuis denuncias publice, ne mi-
nistri laicorum fiant; nec in rebus eorum procuratores
existant." (Vid. *lit. A. ex pag.* 65. in *add. hisp. & art.* 2.
verb. Parochus, in *add. hisp. incip.* Propter) Quod est in-

Consonat disciplina Clericos, jurisdictionem in temporalibus exercere non valere; ideo quamvis Prælati,
aliæ personæ ecclesiasticæ temporalem jurisdictionem habentes, judicialiter, vel extrajudicialiter que inter lai-
cos cognoscere; id efficere posse decernitur tantummodo per seculares, nisi per se non procedant, tam quoad iudica-
turam, quam cetera ad eam concernentia (1); per consequens nullum adest impedimentum ut à Clericis, sive in Sacris,
sive in minoribus, negotia secularia, etsi dicta jurisdictione careant, ex regia commissione, aut compromissi causa
tractentur (2).

Patet, Clericos in Sacris constitutos officium tabellionatus exercere nequire (3); ac etiam in minoribus privilegio
forti gaudentes, publica populorum munera obtinere (4), proindeque, cum sit determinatum, Notarios Numerarios
ante ingressum in eorum exercitium intra duorum mensium spatium à die nominationis à Prælato factæ, debere gra-
tiam patrio sermone de *Notaria de los Reynos en la Cámara* adipisci, simulque tabellionis examen subire: abs dubio
Clericus qualitercumque consideratus, haud esse potest Notarius, maxime, quando solummodo diocesis Ordinario,
unius Notarii in Sacris constituti nominatio ad procedendum in causis criminalibus Clericorum permittitur (5).

(1) *L. 8. tit. 3. lib. 1.* Otrosi mandamos, que los
Perlados è otras personas eclesiasticas de estos reynos
en los casos que tuvieren jurisdiccion temporal, asi en
primera instancia, como en grado de apelacion, hayan
de poner y pongan personas legas que la exerciten y
administren, y no pongan personas eclesiasticas; y pro-
cediendo los dichos Perlados por sus personas en los di-
chos casos en que tuvieren jurisdiccion temporal, no pro-
cedan por censuras; è que los dichos Jueces legos que
pusieren, procedan como Jueces temporales, è no como
Jueces eclesiasticos, segun lo hacen los otros nuestros
súbditos, que tienen vasallos è jurisdiccion temporal en
los nuestros reynos:.

(2) *L. 48. tit. 6. part. 1.* Pleytos seglares non con-
viene à los Clerigos usar: cà esto non les pertenece,
porque sería verguenza de se entremeter del fuero de
los legos: è aun ya otras cosas en que pueden los Cle-
rigos trabajarse de los fueros seglares, è ser Jueces de-
llos: asi como en pleytos que les mandase el Rey judgar,
è como si algunos metiesen su pleyto en mano dellos,
que lo judgasen por su albedrio, ó librasen por su aven-
encia: *L. 4. tit. 9. lib. 3.* Ningun hombre sea osado
de judgar pleyto, sino fuere Alcalde puesto por Nos, ó
à placer de las partes que lo tomen por avenencia para
judgar algun pleyto, ó si Nos mandáremos por nuestra

telligendum etiamsi laici essent Principes, aut alii Magni
Domini; c. Sed nec 4. *Ne Cler. vel Monac.* ibi: "Sed nec
Procuratores villarum, aut Jurisdictiones etiam secula-
res sub aliquibus Principibus, & secularibus viris, ut
Justitiariorum eorum fiat, Clericorum quispian exercere
presumat."

(3) Rescripta, & Brevia pro exercendo Advocati mu-
nere secularibus Clericis, etiam beneficiatis, tum & sacris
ordinibus initiatis concedi possunt, ut advocaturam exer-
ceant in tribunalibus ecclesiasticis, in laicalibus, & coram
iudice seculari, cum agitur causa ipsorum, vel
ecclesie suæ, vel miserabilium personarum. Quamquam
in brevibus libere conceditur Sacerdoti seculari pauperi,
ut libere causas civiles, & criminales agat; dum-
modo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur, quin
& tandem munus illud exercere permittitur, donec cer-
tos ecclesiasticos redditus ad congruum sustentationem
sufficientes, vel beneficium residentiale obtineat. *Be-
nedict. XIV. de synod. dico. lib. 13. cap. 19. §. 12.*
nov. edit.

(4) Secundo, prohibentur Clerici esse Principum Vice-
gerentes, Vicedomini, Cancellarii, locorum Præficti,
aut Præpositi, Iudices, Administratores vel quomo-
documque alia ratione Officiales; *cap. Clerici, vel Mo-
nachi*; ibi: *Jubemus etiam sub interminatione anathe-
matis, ne quis Sacerdos officium habeat Vicecomitis
aut Præpositi secularis.* Concordat *cap. Clerici* 15. *de
vita*; & *honest. Cler.* ibi: *Clerici officia secularia non
exerceant*; *cap. Pervenit* 26. *dist.* 88. & *cit. cap. Cleri-
ci* 1. *cap. Sacerdotis* 3. de *Postulando cit. cap. Multa
sunt negotia* 1. *cap. Sacerdotibus* 2. & *cap. Sed nec* 4.
Ne Clerici, vel Monachi. Terzio, prohibentur Clerici
præsertim Sacerdotes, ne inserviant ancillis in officiis vilibus
bus domus, feminisque nobilitatis ancillarum, ac obse-
quia præstent, ac si essent homines infimæ conditionis;
cap. Sacerdotibus 2. *Ne Clerici, vel Monachi*; ibi: *Ne
ministri laicorum fiant*; Et expresse de mandato Sanc-
tis-

(5) *L. 1. tit. 13. lib. 1.* Ind. Mandamos, que en las provincias de nues-
tras Indias ningun Clerigo pueda ser ni sea Alcalde:
(3) *L. 10. tit. 3. lib. 1.* Ibi: Ni sean Escribanos pú-
blicos, ni hagan fe, ni escriban escrituras algunas en los
pleytos temporales: *Remis. 12. ejusd.* Los Clerigos no
sean Escribanos del Rey, ni usen de Notaria Imperial.
Remis. 2. tit. 25. lib. 4. El Clerigo ordenado de Orden
Sacro no sea Escribano público. *L. 1. Ind. prox. cit. libi*
Ni Escribano.
(4) *L. 3. tit. 4. lib. 1.* Ordenamos y mandamos, que los
Clerigos de Corona, y de menores ordenes casados
ó no casados, que conforme al Santo Concilio de Tren-
to, y á lo dispuesto en las leyes antes de ésta, no debie-
ren gozar del privilegio del fuero en las causas crimina-
les, puedan tener oficios de Juzgados: y otros oficios
públicos: pero que los Clerigos de menores ordenes,
que hubieren reclamado á la Corona, ó por razon della
hubieren declinado la jurisdiccion de los Jueces segla-
res: ó los que conforme al dicho Concilio de Trento,
y en lo dispuesto en las leyes antes desta, debieren go-
zar del privilegio del fuero, y por el tiempo que pudie-
ren gozar del, que no puedan tener ni tengan los dichos
oficios, agora sean casados ó solteros:
(5) Vide *verb.* Cancellaria, & Notarius, in *add. hisp.*

58 tissimi Sacra Congr. Episc. per literas encyclicas sub da-
tum Romæ præcisus his verbis: "Fra le più assidue sol-
lecitudini, che occupano la mente zelantissima di N.
Signore per il bene spirituale della Chiesa; una si è di
conservare, è ravvivare nel suo decoro la santità, e
dignità del sacerdotio; Poichè dependendo dagli Of-
fici di quell' Ordine l'istruzione e correzione, e la san-
tificazione de' Fedeli, conviene ancora, che l' esem-
plarità della vita, e gravità de' costumi sia in esso
così distinta, e superiore ad ogni altro, che corrispon-
da alla sublimità del grado, ed al fine della sua Istitu-
zione. Quindi è, che con l' Oracolo della sua viva vo-
ce ha sua Beatitudine ordinato, che si scriva à tutti i
Pastori delle diocesi la presente Lettera circolare, à
fine d' eccitare una più esatta vigilanza in procurare l'
adempimento, ed osservanza dell' ordinazione de' Sa-
cristi Concilij Ecumenici, specialmente di quello di Tren-
to in ordine all' onestà della vita del Clero, e singo-
lamente in non permettere, ed onninamente impedi-
re, che li Sacerdoti non s'impieghino in Officj servili
del Secolo, e de' Laici, e specialmente di Donne, im-
propj a' Ministri dell' Altare, e al Carattere Sacrosan-
to, il quale quando venga conferito secondo le disposi-
zioni del Sacro Concilio di Trento, con l' actual servi-
gio d' una Chiesa, cesserà l' occasione di simili scan-
dali, e si toglierà all' oziosità, e povertà, in un nume-
ro straordinario, e disapplicato, ogni scusa, e compa-
timento per tollerarli contro i Sacri divieti, in impieghi
habietti, ed indecenti. Sarà V. E. col fervore suo zelo
conformarsi con l' esecuzione a quello di sua Beatitudi-
ne, e le bacio per fine umilmente le mani. — Roma 16.
Marzo 1697. — Loco Sigilli. — G. Card. Carpegna
Prefetto. — M. Arcivescovo d' Atene Segr."

64 Quarto, specialiter prohibetur Clericis officium ta-
bellionis, seu Notarii publici agere; *cap. Sicut* te 8. *ne
Clerici, vel Monachi*, ibi: *Fraternitati tue mandamus,
quatenus Clericus in Sacr. Ord. constitutus tabellionatus of-
ficium per beneficiorum subtractionem appellatione postpo-
sita, interdicas.* Concordat c. Ut Officium 11. §. Verum de
65 hæret. in 6. Possunt tamen Clerici tam Regulares, quam
seculares, esse Notarii, aut tabelliones in causis fidei pro
favore ejusdem; text. expresso in *cap. Ut Officium* 11.
Ad conscribendas de heret. in 6. Possunt etiam Clerici
esse Notarii Papæ, aut in Curia Rom. Fagnan. in c. Si-
cuti te 8. *Ne Clerici, vel Monachi num. 60. & 68.* & Bar-
bosa *ibid. n. 7.* Nam Papa admitendo, vel officium hoc
tribuendo Clericis, videtur eos habitare ad illud exer-
cendum; *arg. leg. Idem Ulpianus. ff. de excus. Tutor &
de facto Concilii Trid.* fuerunt duo Notarii, laicus unus,
& alter Clericus, ut patet ex eorum subscriptionibus, quæ
habentur in calce Concilii, ut observat etiam ipse Fagn.
67 *loc. cit. n. 98.* Possunt insuper Clerici esse Notarii in lo-
cis ubi est consuetudo, præcipue in causis ecclesiasticis,
seu spiritualibus, coram iudice ecclesiastico. Ita Joan. de
Anan. & Philippus relati per Joann. Andream in *cit. c. Si-
cuti te n. 8.* & Goffred. *per. cap. Quidam* 5. *quest. 1.* ubi
Clericus potest esse Notarius Papæ; item Episcoporum,
& Archiepiscoporum, ut in *cap. Multarum* 27. *quest. 2.*
& in *cap. Monachus dist. 77.* & Butrius in *d. cap. Si-
cuti te num. 8.* ubi dicit hanc sententiam esse veram, *ibi-
dem Ancharan. num. 2.* ubi dicit esse veriore; Hostiens.
num. 3. vers. Quod ergo; Barbosa *num. 9. §.* & alii;
& ratio est, quia sola lege humana prohibitum est
Clericis officium tabellionis, adeoque vi consuetudinis
id peragere possunt; *arg. cap. fin. de consuetudine*,
maxime in causis ecclesiasticis coram iudice ecclesias-
tico, & perisque in locis Episcopi pro suis Cancellariis,
Aduariis, & Tabellionibus adhibent Clericos. Fagn. ta-
68 men *loc. cit. num. 61.* variis solide adductis sententiam
contrariam sequitur, & propugnat. (¶) Notarii, qui in-
serviunt Papæ, Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ma-
gistratibus majoribus, vere sunt nobiles, cum dicantur in
dignitate constituti. Hi tamen ceteris Notariis in probate,
in scientia, & in prudentia debent præcellere.
Adeoque solliciti sint, ne eorum vitio Fiscus detrimen-
tum patiat arg. *Text. in leg. fin. de bon. vacant.* Sed
ut quisque suum teneat, & suis pacifice gaudeat; & ne

de privatorum bonis diminutio fiat in familiarum direp-
tionem, ac eversionem: ne aliàs in seipso, ipsorumque
familias iram Dei, ac indignationem illorum, quibus
inserviunt, convertant, ut advertit Imperator in severa
Leg. unie. Cod. ubi caus. sic. sed ad hæc evitando, eligan-
tur viri probi, ut monet *D. Thom. 2. 1. q. 3.* Felix Tomboli-
ni de *offic. Notar. lib. 1. à quo hæc excerpta sunt.* (¶) *Quin-
to*, est Clericis absolute prohibitum, ne jurisdictionem sangui-
nis exerceant, aut sententiam sanguinis dicent, profes-
rant, vel executioni sententiæ intersint, & ne quidquam
faciant per quod ad vindictam sanguinis tendatur; c. *Cle-
ricus* 5. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: "Clericis in Sacris
Ordinibus constitutis ex Concilio Toletano iudicium
sanguinis agitare non licet; unde prohibemus ne, aut
per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent
interferendas." *Cap. Sententiam* 9. *cod. tit.* ibi: "Senten-
tiam sanguinis nullus Clericus dicent, aut proferat, sed
nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur,
intersit. . . . Nec quisquam Clericus literas dicent,
aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas." Con-
cordat *cap. Saep. 29. & cap. His à quibus* 30. *caus. 23.*
quest. 8. & *cap. Ex literis* 10. de *excessibus Prælator.*
Hinc Clerici, seu Prælati ecclesiasticis habentes jurisdic-
tionem temporalem, possunt, & debent causas sanguinis
laico delegare, idque generaliter, non specialiter, textu
expresso in *cap. Episcopus* 3. *Ne Clerici, vel Monachi* in 6.
Ibi: "Episcopus, seu quicumque alius Prælati, vel
Clericus jurisdictionem obtinens temporalem, si homi-
cidio, aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione
sua commisso, Ballivo suo, aut alii cuicumque injun-
gat, ut super hoc veritatem inquirens iustitia debitum
exequatur, irregularis censi non debet, quamvis ip-
se Ballivus, vel alius contra malefactores ad penam
sanguinis processerint iustitia mediante. Nam licet
Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eos tamen
(cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent, &
possunt metu irregularitatis cessante aliis delegare."

Sexto, Clerici non possunt præponi Ruptuariis, vel
Ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum; *cap. Senten-
tiam* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: *Nullus quoque
Clericus Ruptuarius, vel Ballistarius, aut hujusmodi
viris sanguinum præponatur.* Ruptuarii autem sunt illi,
qui præsent machinis bellicis, quibus rumpuntur muri,
ut notat Joan. Andreas in *d. cap. Sententiam num. 7.* &
Ballistarii sunt iidem, ac Sagittarii. Unde deducitur non
posse Clericos constitui Duces, vel Capitaneos militum
in bello, ut recte advertit Abbas in *d. cap. Sententiam*;
licet enim Clerici possint interesse bello justo, ac milites
ad pugnandum hortari: *cap. Hortatu* 10. & *cap. Ut pridem*
17. *caus. 23. quest. 8.* & *cap. Petitio* 24. *de
homicid.* tamen non possunt esse belli Duces ordinantes
aciem, & dirigentes tormenta bellica, & hujusmodi, *ex
cit. cap. Sententiam*; Abbas *ibid.* & alii communiter.
(Vid. *verb.* Arma, in *add. hisp. novis. pag.* 230. præ-
sertim *vers.* Fori privilegio: & *lit. B. pag.* 290.)

Septimo, est prohibitum Clericis, & Religiosis pub-
lice, seu in scholis, vel Universitatibus publicis, Jus
civile, & physicam, id est, medicinam audire; *cap. Nam
magnopere* 3. *Ne Clerici, vel Monachi*, ubi adducitur
justa ratio: *Ne occasione talis scientiæ spirituales viri
mundanis rursus actionibus involvantur;* & *cap. Super
specula* 10. *cod. titulo*, ubi assignatur pro fine, ut stu-
dium theologiæ, & defensionis canonum magis frequen-
tetur pro dilatatione, & defensione Catholice Fidei con-
tra suos impugnatores, ibi: "Quia vero theologia stu-
dium cupimus ampliari, ut dilatato sui tenentii loco fu-
niculos suos faciat longiores, ut sit Fides Catholica cir-
cumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus re-
sistere valeat ascendentibus ex adverso &c." Hinc ta-
men duo sunt advertenda; primum, quod notanter dicitur,
*publice, seu in scholis, vel Universitatibus publi-
cis*, quia privatim, ac domi in Camera non prohibentur
Religiosis, aut Clericis studere Juri civili, ut tenet com-
munior Doctorum, teste Fagnan. in *cit. cap. Super
specula num. 8.* & *seq. num. 30.* & observat etiam Barbosa
ibid. num. 3. & alii, præsertim si id faciant pro pleniori
intellectu Juris canonici, ac theologiæ. Secundum, quod

licet sit prohibitum Religiosis, & Clericis publice Jus civile, & medicinam audire, seu ei studere, non est tamen eis prohibitum tale Jus civile, & medicinam publice docere, & legere. Ita Abbas in *dist. cap. Super specula num. 16.* Barbosa *ibid. num. 7.* Pithing. *l. 3. de cr. tit. 50. num. 37.* Reiffenstuel *ibid. num. 10.* Navarrus in *manua. cap. 27. num. 176.* Fagnan. *loc. cit. à num. 37. usque ad num. 44.* & alii; licet enim varii Canonistæ contrarium sentiant, ex quo in *d. cap.* Non magnopere videatur expresse loqui de Religiosis legentibus, & docentibus, ibi: *Ad legendas leges & confessiones physicales ponderandas. . . . Ad physicam, legere mundanas legendas;* tamen quia Honorius III. in *dist. cap. Super specula dixit,* Alexandrum III. in Concilio Turonensi olim statuisse, ut tamquam excommunicati videntur Religiosi de claustris exeuntes, ad audiendas leges, vel physicam, necesse est, ut constitutio dicti Alexandri III. in Concilio Turonensi condita, & relata in *dist. cap.* Non magnopere, loquatur de Religiosis audientibus, non autem docentibus; alioquin Papa Honorius in *dist. cap. Super specula* :: falsum dixisset, & non fideliter retulisset illam constitutionem, aut certe illius tenorem ignorasset, quod non est dicendum, cum habeat omnia Jura in scripto peboris; cap. Licet *1. de constitutionibus in 6. ibi: Romanus Pontifex, qui Jura omnia in scripto peboris sui censetur habere:* Unde quamvis illa, ad leges legendas &c. quæ habeatur in *dist. cap.* Non magnopere, inspecto cortice, legentes, & docentes importare videantur, tamen intelligi debent de audientibus, & sic de legentibus audiendo, seu addiscendo, ex quo illa sic intellexit Romanus Pontifex, qui solus auctoritatem habet verba Conciliorum per modum legis interpretandi; cap. Nec licet *4. dist. 17. ibi: Sed quoties aliquid de universali synodo in aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendum de eo, quod non intelligunt rationem. . . . ad Apostolicam Sedem conveniant.* Et de facto etiam Summarium ipsum *d. cap.* Non magnopere, loquitur tantummodo de audientibus, ibi: *Religiosi proferti exeuntes ad audiendas leges, vel physicam (nisi infra duos menses ad claustrum redeant) excommunicati sunt:* adeoque verba illa ad docentes, aut legentes non sunt extendenda; ut pote odiosa; cap. Pœnæ *18. dist. 1. de penitent. cap. Odiæ 15. & cap. In pœnis 49. de regul. juris in 6.*

78 *Ostavo*, est prohibitum Clericis artem Chirurgiæ exercere; cap. Sententiam *9. Ne Clerici, vel Monachi, ibi: Nec ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adusionem, vel incisionem inducit:* Quod etiam specialiter prohibetur Religiosis; cap. Tua nos *19. de homicidio.* Sic etiam est ipsis prohibitum artem medicinæ exercere; cap. Ad aures *7. de atate, & qualitate;* Ars enim medicinæ, & chirurgiæ ultraquamquod subjacet variis erroribus, & periculis, est officium seculare, ob quod Abbas in *cap. Sententiam 9. Ne Clerici, vel Monachi, num. 21. & 22.* notat esse absolute prohibitum Clericis, etsi citra adusionem, & incisionem illam exerceant; *arg. cap. Multa sunt negotia 1. Ne Clerici, vel Monachi:* Et de arte medicinæ ratio ulterior est, quia prohibetur Clericis illius studium, adeoque multo magis ejus exercitium, Abbas *loc. cit. arg. cap. Cum quid 39. de regulis juris in 6. ibi: Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* (Ad rem *lit. A. pag. 38. col. 2. & 39. col. 1.* atque *lit. D. pag. 104. ex num. 60.*) Hoc tamen limitant Doctores in casu, quo urgente necessitate, & cessante periculo mortis, aliquis Clericus artem medicinæ, & chirurgiæ exerceat ex pietate, & charitate erga pauperes in defectu aliorum Medicorum, & Chirurgorum; Barbosa in *dist. cap. Tua nos 19. de homicidio, Pithing. l. 3. decretal. tit. 50. num. 17.* Sanchez *l. 6. Moral. cap. 14. 80 num. 15. & seq. Molina, Bonacina, & alii passim.* Et de

Neque tutelæ munus subire, (1) nec extra claustra pernoctare (2) est Regularibus permittitur: ideo nequit à Prælati concedi, illud nunquam, istud nisi sub qualitatibus præscriptis.

(1) L. 14. tit. 16. part. 6. Obispo, nin Monge, nin otro Religioso non pueden ser guardador de huérfanos: (2) (Vid. add. novis. hisp. lit. E. pag. 204. col. 1.)

89 Clerici ab Episcopo non dispensantur, nisi pro pupillis, pauperibus, orphanis, viduis, aliisque miserabilibus personis, pro quibus quando alius tutor aptus non posset inveniri, possent etiam dispensari pro assumenda tutela legitima consanguineorum; cap. Pervenit *26. dist. 86. c. Licet 1. & cap. Defensionis a. dist. 88. & Glossa ibi; c. Decretum 1. dist. 88. & Glossa ibi; Surd. dec. 207. n. 23. Bellet disquisit. Cleric. tit. de discipl. Cleric. §. 23. n. 2. Tutrecremat. in cap. fin. dist. 86. Passerin. de stat. hom. tom. 2. quasi. 187. art. 2. n. 131. (Vide verb. Tutor, ubi proxime.)*

90 Quoad negotia Clericis vetita attendenda est dispositio Benedicti XIV. in constit. incip. Apostolicæ servitutis: ubi sub pœnis à sacris canonibus & constitutionibus apostolicis jam fulminatis, rigorose vetat omnibus Clericis omne seculare negotium nomine proprio, aut alieno, & sub quocumque colore, aut prætextu exercitium; & sub eisdem pœnis expresse ipsis præcipit, ut statim dimittant quodcumque negotium ipsis spectans via hæreditatis, aut quocumque alio titulo, aut separatim; aut unum aliis, quamvis ab illis esse exercitium; & si nequeant statim illud dimittere sine gravi detrimento, mandati, quod teneantur obtinere à Sacra Congregatione Concilii, aut ab Ordinario loci expresse facultatem solum concedendam, attentis circumstantiis pro aliquo brevi congruo tempore, intra quod tamen debet negotium exerceri dispensabiliter à persona laica: Et si intra id temporis exerceatur à Clericis, aut eodem tempore elapso, statim non dimittatur negotium, vult dictos Clericos subjacere præfactis pœnis, & spolio, non obstante quocumque privilegio, & indulto.

Hic ad rem ducimus asperè novissimam epistolam fel. record. Clementis XIII. super observantia canonica sanctionum adversus Clericos negotiatores & secularibus negotiis sese immiscentes editarum.

Venerabilibus Fratribus, universis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres salutem, & apostolicam benedictionem.

91 Cum primum incomprehensibili Pastoris æterni iudicio in Beati Petri cathedra constituti, Domini gregis curam suscepimus, complures audivimus ecclesiastico zelo ferventes viros, præsertim animarum pastores, & Verbi Dei præcones, qui civitates, atque provincias peragrantes, penitentiam populis, & morum emendationem indicentes, quorum unanimes consensu fuit, inter abusus, & corruptelas, quas pro ministerii sui officio notarunt, & pro viribus reformare studuerunt, reprehendam sibi frequenter occurrisse quorundam Ecclesiasticorum avaritiam, habendique cupiditatem. Quæ quoniam malorum omnium radix à Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbut, ut in atrociora crimina non abripiat, salutem in Dei cultu, propriæque vocationis muneribus obundis scordes reddat, & ad secularia desideria conversos, mundanis addicat curis, & occupationibus, quibus abrenunciare se publice edixerunt, quum inter sacre initiationis mysteria, solum Deum hæretici sui partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosus necessario fiunt, atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum, sine speratum, sive jam partum amittant. Hinc se ad abjecta qualibet officia, & ministeria, in gradus, & Ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit, ut laicorum plerique non eos ipsos dumtaxat, qui talia agunt, sed sæpe etiam universum ecclesiasticorum cœtum contemnant, quia & amaro, aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum lites, & contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel à quibus præcepta sibi viderunt honesta media, per quæ suæ, suorumque sustentationi consulere possent.

Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari

censem Regularis Viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus communitatum suarum emolumentis, ultra ecclesiasticæ moderatiōnis fines ferri se sinunt, excitari Nos quidem intelleximus, ut apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate, hujusmodi corruptelam, unde fidei populo scandalum, aliique noxi consequuntur effectus, emedio tollere satageremus.

Verum quum ab ipsis ecclesiæ incunabulis usque ad hæc nostra tempora, nihil apertius, nihil districtius, aut Conciliorum decretis, aut Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus statutum legatur, nihil à Sanctis Patribus, ecclesiarumque Pastoribus frequentius, aut impensius inculcatum appareat, quam ut ecclesiæ Ministri, tum Clerici, tum Monachi à temporalium lucrorum cupiditate abstinere, & à secularium negotiorum sollicitudinibus arcere se debeant: Cumque non solum spirituales censuræ, sed etiam gravissimæ temporales pœnæ in eos decretæ fuerint, qui canonicas regulas ac in te infringere, aut violare præsumperint; omnibus mature perpensis, nihil Nobis reliquum esse judicavimus, nisi ut Vos, Venerabiles Fratres, de constanti, enixaque voluntate nostra, Prædecessorum Nostrorum menti, ecclesiæque spiritui per omnia inherente, commonefactos, paternis, fraternisque hortationibus excitaremus; ut debitam sacrarum legum observationem ab omnibus ecclesiasticis, tam Ordinariæ vestre, quam Delegatæ vobis jurisdictioni subiectis, ad formam sacrarum canonum, & decretorum Apostolicæ Sedis, ac respectivæ synodali uniuscujusque diocesis statutorum, exigere studeatis, ac reipsa obtinere curetis.

Ut igitur clarius innotescat perpetuum nostrum, & Apostolicæ Sedis studium pro religiosa prædictarum legum custodia, simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stilo, aut consuetudini (quæ corruptelæ potius, & abusus, servata legitima vocabulorum proprietate, appellari debent) quibus ecclesiastici quicumque criminosam suam in negotiis, curisque secularibus immixtionem obterege, aut excusare contenderent, Nos, omnes, & singulas canonicas leges, & Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum constitutiones, adversus Clericos negotiatores, & secularibus negotiis sese immiscentes, præsertim à Pio IV. Urbano VIII. & Clemente IX. latas, atque editas, usque ad novissimam, quam san. mem. decessor Noster Benedictus Papa XIV. sua Dat. Kal. Martii 1741. Pontificatus sui anno primo evulgavit, cum omnibus item, & singulis pœnis, atque censuris per eas respectivæ in dictis, perinde ac si decretæ omnia in præmissis contenta, eorumque pœnales sanctiones, presentibus nostris literis de verbo ad verbum inserta forent, per easdem præsentem approbamus, confirmamus, & innovamus; decernentes, ac declarantes, prædictis omnibus legibus, ac pœnis subijci, ac subiectas censeri debere omnes, & singulas personas ecclesiasticas, non solum de seculari Clero, sed etiam de Regulari, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, Societatis, & Institutii, amplissimis licet, & singularibus indultis, privilegiis, & exemptionibus muniti, & cujus etiam expressam & individua mentionem fieri oporteret; ita ut quicumque adversus hujusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis pœnas incurrant, ac respectivæ ad quos pertinet, juxta casuum distinctionem & procedendi methodum aliàs à Tridentina Synodo, seu ab Apostolica Sede præscriptam, eum effectum multati, & puniri debeant; non obstante contrario quolibet usu, seu stilo, aut consuetudine, etiam immemorabili, quæ aliquo in loco, diocesi, aut religione inolevisse dici posset: quam quidem Nos, veluti damnablem abusum, & imperscrutabilem corruptelam, earundem presentium tenore, damnamus, præscribimus, & viribus omnibus vacuumus.

Deinde Vos omnes, Venerabiles Fratres, hortamur, & in Domino obsecramus, ut pro ecclesiasticæ disciplinæ integritate, & animorum salute advigilantes, in Clericorum omnium, Vobis tam Ordinario, quam Delegato jure subiectorum, agendi rationem sedulo inquiretis; ac, si quos forte hujusmodi avaritiæ labe infectos, adversus canones, & apostolicas constitutiones peccasse comperitis, in eos, ad formam eorumdem canonum,